



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Vicecuratos, quos vocant, ex proventibus Ecclesiae congruam  
sustentationem recepturos. 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

CAP. L. *Quomodo impendenda  
Vnctio extrema.*

**E** St autem Vnctio impendenda cum expositione Vnctionis & mandati Apostolici, quod sic habet: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesie, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei. Postremo loco adhibebit Parochus admonitionem preparationis ad mortem; quemadmodum Enchiridion docebit.

Iac. vli.

CAP. LI. *A sepultura nemo, in communione decedens, repellendus.*

**Q**uod ad sepulturam attinet, quis poterit negare, rem longe piissimam esse, & in veteri & in nova lege accurate observatam, ut Christianorum (qui spem resurrectionis habent) corpora, non pecudum more disjiciantur, sed in cœmeterii sinum recondantur,

Gen. 23.  
25.

quod etiam alto mysterio non caret? Ab hac ergo sepultura nemo Christianus, qui in communione decessit Ecclesie, arceatur, et si casu mortuus fuerit. Quum enim communicabatur viventi, & mortuo communicandum est. Soli vero hæretici, excommunicati, publici latrones, & hi, qui sibi mortem, criminis conscientia adacti, consciverunt, & quos in peccato letali, nullis pœnitentiæ signis præcedentibus, decessisse constiterit, prohibeantur.

c. ex parte  
de sepult.CAP. LII. *Quam admonitionem in  
sepulturis & exequiis fieri  
oporteat.*

**I**n sepulturis autem & Exequiis, mortalitatis atque hujus calamitosæ vitæ admonitio diligens fiat; atque excitandi inter alia præfentes, ut recogitent, sibi eodem modo hinc excedendum esse, sese in hac terra peregrinos agere, aliam autem inquirere, ad quam semper oporteat suspirare. Nam, quo pacto ad exorandam pro defunctis Dei misericordiam commonendi sint, supra diximus.

Heb. II.

## P A R S O C T A V A.

CAP. I. *De victu Parochorum.*Ex Cont.  
Tolet. II.  
c. 8.

**S**uperest, ut de victu Parochorum dispiciamus. Hic inprimis, quod Christus docuit, & sacri Canones maxime serio præceperunt, præmittendum duximus: nempe ut Sacramenta Ecclesiastica gratis ministrantur; dicente Domino: Gratis accepistis, gratis date. Quamobrem neque pro baptizandis consignandisque fidelibus, neque pro collatione Chrismatum, vel promotionibus graduum, neque aliis Sacramentis distribuendis, precia quælibet vel præmia, nisi quid voluntariè offeratur, recipienda sunt. Neminem quoque ad quæstuosas Exequias cogi, aut pro sepultura munus aut precium exigi volumus, secundum Canonicas sanctiones; Custodi interim ac vespilloni de sua mercede nihil detrahentes.

Matt. 10.  
Ex Cont.  
Tribu-  
rensi ac  
Varensi.  
c. in Eccle-  
siastico. c.  
præcipien-  
dum 13.  
q. 2.CAP. II. *Parochis victus necessarius  
suppeditandus.*

**A**T, quum lex Divina præcipiat, non alligandum os bovi trituranti, quod utique, non boum causâ sed propter nos dictum, Christus in Evangelio explicat: Dignus, inquit, est mercenarius mercede sua. ac Paulus toto capite 9 primæ ad Corinth. confirmat: Quis enim militat suis stipendiis un-

Dent. 25.  
1 Tim. 5.

Matt. 10.

1 Cor. 9.

quam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? neque enim magnum est, si, qui spiritualia seminant, carnalia etiam metant. Quamobrem dispiciendum est, ut Parochis, Evangelii prædicatoribus, certa ac competens subministratio victus & vestitus fiat, idque ad eum modum, ne, in administrandis Sacramentis quippiam exigendo, oneri sint Parochianis, aut cibum, vicatim discurrendo, emendicare cogantur; quo nihil turpius aut sordidius.

CAP. III. *Viccuratos, quos vocant,  
ex proventibus Ecclesie congruam  
sustentationem recepturos.*

**I**nprimis igitur, qui per Vicarios seu Viccuratos Ecclesias Parochiales regendi potestatem à Nobis acceperunt, iisdem Vicariis tantam, ex proventibus Ecclesie, partem assignabunt, qua vitam congruè sustentare possint. Quod Nos inter visitandum, pro ratione locorum ac Parochiarum ut fiat, ordinabimus.

CAP. IV. *Qui Ecclesias unitas habent,  
Vicariis perpetuis portionem congruam  
assignare oportere.*

**E**ccliesie Cathedrales ac Collegiatae, itidem Monachi seu Religiosi, qui Ecclesias

De præ-  
ben. c. 11.  
gnit. lib. 6.